6

# DISCURSUS

ad

*L. II. ff. MANDATI*

# NEMO EX CONSILIO OBLIGATUR, ETIAMSI NON EXPEDIAT EI, CUI DABITUR;

QVO

*PLURIMUM VENERABILE AMPLISSIMORUM*

# DNN. INSPECTORUM COLLEGIUM,

ad

*benevolè auscultandum*

Qvatuor Oratiunculas progymnasmaticas Latino filo contextas,

*officiosè*

ac

*observanter*

*invitat*

M. GEORGIUS TRINCKHUSIUS,
Illustris Ruthenei Con-R.

* * * * * * * * * * * * *

GERAE,
*LITTERIS MÜLLERIANIS.*



Vanta & qvàm recondita in illis veterum Jureconsultorum fragmentis, qvae sacratissimi imperatoris auspiciis digesta, Pandectarum accepêre nomen, delitescat omnis generis doctrina, nemo temerè, nisi qvi cerebrum, cùm legerit, in calcaneo gerat, aut peponem pro corde habeat, in dubium vocare, aut prorsus inficias ire sustinuerit. Certè exinde sanctissimae ejus Deae cultores omnigenam multifariae doctrinae farraginem certatim petivêre, datisq; in publicum libris id fecere testatum, uno libri volumine infinitam optimarum nobilissimarumqve rerum multitudinem posse comprehendi. Atq; ut jam tacitus praeteream inculpatum ac cultissimum Latinitatis stylum; cujus auctoritate sua non rarò munit divina Philologorum Criticorumqve natio: qvem adeò castè probateq; loqvi censuit alter ille Reipublicae Romanae (a) Camillus, Laur. Valla, ut, si lingva Latina occidisset, ex solis eam restaurari *Pandectis* posse, ausus (b) scribere in vulgus fuerit: Multa profectò inde & caeteris libris Mathematica, Logica, Ethica, Politica (qvanqvam Jurisprudentiam Ethicae & Politicae partem esse maximi virorum statuant) Physica, Medica, & qvae non? nec modio, nec trimodio, ut ait Comicus; sed pleno qvasi horreo depromi posse, qvi sacra haec eminùs tantùm inspexit, hominum latere potest neminem. Qvis enim nescit in rebus hinc petendis Logicis Hottomanni, Freigii, Schikardi, Vigelii, Stephani, Ottonis, Everhardi, clarissimorum hominum, laudatissimum studium? Mathematica inesse qvoqve, ostentat libro de Asse Galliae illud suae ornamentum incomparabile, Qviliel. Budaeus: & qvae medici sint (qvemadmodum Physica excerpsit Freigius) aperuêre duo

*(a) vid. Marc. Ant. Sabellicus Dial. de Lat. Lingv. reparatione p. m. 18.*

*(b) Lib. 3. Elegantiar. prooemio.*

duo doctisſimi artis medicae magiſtri, *P.* Zachias & B. Codronchius. Non minùs de moribus formandis & republicâ regundâ, qvae prae reliqvis palmaria videantur, ibidem tradi, commonſtraverunt Turturetus, Bodenſteinius, Kellerus; & qvi Caſus hodiè definiunt, & de Jure Naturae & Gentium praecipiunt. Qvanqvam eò qvosdā deſcendisſe audaciae, ut praeclaro illo corpore, ceu veteres Homero uſi, inde omni inſcientiae remedium πανταχῆς hauriri posſe autumantes, divinam Philoſophiam deprimere ac eliminare pugnaverint, dolent meritò & vindicant viri auguſtâ in literis famâ & praeclaris in rempublicam, qvà literariam, qvà civilem, meritis illuſtres. Sed ne diutiùs exordio inhaerentes, tardè nimis ad exodium, ut ait Varro, veniamus, agedum ad rem ipſam accingamur, & inſignem illam γνώμην, qvae nihil aliud, qvàm axioma politicum eſt, emisſitiori oculorum acie arbitrati, paulò curatiùs cum animo expendamus: *Nemo ex conſilio obligatur, etiamſi non expediat ei, cui dabitur.* Qvâ eximiâ ſententiâ id voluit (*c*) Gajus (is enim auctor) Neminem qvenqvam, qvi eſt à conſiliis, famâ vel bonis, aut capite debere periclitari; tametſi ratio ſubminiſtrata ei, cui conſulere volueris, cuiqve conſilium ſuppeditare tenebaris, nihil qvicqvam attulerit emolumenti; ſed detrimento potiùs fuerit ac noxae. Qvùm enim rerum, qvae ſub conſultationem cadunt, politicarum varietas tanta ſit ac mutabilitas, ut punctum ferire unâ tantùm ratione, aberrare à puncto innumeris modis liceat; nec id in tuâ poſitū ſit manu, ſed rei ipſius tàm fluxae ingenium haud aliter ferat: non potes ex conſilii dati incommodo ſine inſigni ſtoliditatis ac injuriae notâ in eum, qvi tibi perſvaſit, animadvertere.

*(c) Lib. 2. Rerum cottidianarum ſeu Aureorum.*

(d) L. 202. § de divers. regul. juris.

Hinc & ille (d) Javoleni à multis celebratus, sed paucis intellectus canon: *Omnis definitio in jure civili periculosa.* Loqvitur enim de propositione universali vel regulâ legali: qvomodo & Graeca tralatio per κανόνα νομικὸν exponit: qvod in effatis nec non decretis politicis, definiendisqve ac pronuntiandis sententiis, haud absimili valere modo, cuivis doctiori, &, ut Aristoteles vocat, ἀπαιδευσίᾳ, de facili constare potest. Deinde tanta circa id, qvod bonum alteri vel malum, opinionum diversitas est, ut tantùm opinionibus regi haec talia, non constare naturâ, paenè liceat arbitrari.

(e) l. 1. Eth. Nic. c. 3. §. 4, 5.

Si enim, ut ait (e) Semo ille Aristoteles, τὰ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ ( ineptè *lege* vertunt ) μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή· qvantò magis circa τἀγαθά, qvae taxantur utilitate, nec tàm nota & constantia, qvàm Honesta & Justa sunt, variis variarum opinionum fluctibus homines oportet agitari. Unde persaepè fit, ut qvis certis conclusiunculis, tanqvam compedibus constrictus, malum aliqvid esse, cùm tamen immensum qvantum salutare & revera in rem fuerit, apud animum sibi suum habeat persvasissimum. Adhaec cùm saepè prudentissimum consilium irritum esse jubeat supremus in coelis arbiter, & *destinata salubriter omni ratione potentior fortuna discutiat*, ut Curtius (f) ait, historicus civili prudentiâ insignis: fit sanè, ut *multa malè consulta feliciter eveniant; & plura, qvae rectè instituta videbantur, turpiter in contrarium eventum relabantur:* ceu per interpretem loqvitur (g) gravissimus auctor, Thucydides. Sanè ut multi sunt, qvibus dormientibus dii omnia conficiunt, qvibusq; in sinum de coelo victoria devolat, urbes capientibus reti ( ut de Timotheo luserunt aemuli, pingentes eum cum fortunâ

(f) lib. 3. cap. 8. §. 29.

(g) lib. 1. de bello Peloponnes. c. 20. §. 13.

tunâ reti urbes capiente in tabulis dormientem: qvod indignè qvidem tulit ille, & nullâ idcircò pòst felicitate usus; Sylla verò omnia fortunae seu diis referebat accepta: qvo de copiosissimus scriptor, (*b*) Plutarchus Chaeronensis): Ita nec minor eorum numerus, qvos neq; ipsa Salus, etiamsi maximè vellet, servare qveat: qvos infausto prorsus sidere natos, meritò fortunae pilas (ceu ob varios fortunae casus vocatus est Helvius Pertinax) vocitare possis: adeò irrito conatu, prudenti licet consilio, aut infelicissimo eventu unumqvodq; aggrediuntur. Ad postremum deniq; nullâ vi, nullâ necessitate coactus, consilium datum exeqveris: prorsus liber, viam monstratam ineundi, aut aliud affectandi iter. Unde laudatae sententiae addit consultissimus (*i*) Gajus: *Qvia liberum est cuiqve, apud se explorare, an expediat sibi consilium.* Qvamvis hic qvaedam distinctiùs monenda esse, nemo non videat: qvod nobis praestaturis, chartae angustia interdicit. Et qvemadmodum Medico (nam & hic consiliator est) ex arte & fide medicinam faciendi, si fortè decesserit aegrotus, casus mortalitatis imputari non debet: ita & consiliarius, si res praeter opinionem ceciderit & institutum, imprudentiae & neglecti officii alligandus est minimè. Qvapropter iniqvi nimis ac barbari Persae, apud qvos capital est dixisse, qvod principi non fuerit ad palatum: qvae crudelis ac nefaria consvetudo placito de nunqvam revocandis eorum decretis suppar est: qvod de Medorum Persarumq; regibus sanctissimus testatur (*k*) vates, ac de Ceilonensium principe itidem refert vir multarum rerum usu insignis, (*l*) Jo. Jacob. Saar, & de Turcarum imperatore è compluribus historicorum monimentis testatissimum est. Haud dispar & ille Locrensium ac Thuriorum mos vide-

*(b) in Syllâ p.m. 454.*

*(i) loc. cit.*

*(k) Daniel. 6,5.*

*(l)* Ost-Ind. Kriegs-Dienste. *p.m. 88.*

detur; ad qvos, si qvis disſvaſurus leges foret, fune circa collũ poſito cogebatur procedere, ut ei confeſtim, ſi ſenatui populoq; disſvaſio legis non probaretur, laqveo adducto frangeretur gula: tametſi id conſvetudinis, ob leges non temerè mutandas, collaudet vir in literis & jure primàs, (*m*) Conr. Rittershuſius: cujus ſententiae politisſimus vir, C. Fr. Franckenſteinius (*n*) accesſit. Cõſimili modo crudeliter nimis ac inhumanè medicum votis aegroti & ſuis excidentem, trucidat horrida Turcarum gens: qvod complurium exemplorum nube, ſi opus foret, liceret comprobare. Ut unum proferam in medium, Gabrielem de Zerbis Veronenſem, Theoricae medicinae Patavii Profesſorem, cùm ſatrapam qvendam Turcicum in Illyrio vel Myſiâ propinqva ſanare non potuisſet, ſatellitum gladiis conciſum esſe, refert (*o*) Bruno Seidelius, Profesſor olim Medicinae Helmſtadienſis. Nec mitior Alexander ille Magnus, qvamvis humanisſima Graecorum ſtatuta edoctus, qvi *miſerum medicum* Glaucum, *tanqvam in curando* Hephaeſtione *negligentior fuisſet, ſuſpendi* in crucẽ *jusſit*: (*p*) qvod rectè praeclarus auctor inter ea refert, qvae regiam majeſtatẽ minimè decent: & ὐδενὶ λογισμῷ id fecisſe Magnum illum, cenſet eximius (*q*) Plutarchus: qvem & pasſim Aeſculapii fana incendio delêsſe, memoriae dedit diſertisſimus (*r*) Arrianus. Gemellum eſt, qvod de Guntramo, principe Aurelianenſi, Auſtrigildis conjugis ſuae aegrotae precibus inducto, narrat doctisſimus Abbas, Joannes (*s*) Tritthemius. Rectè eximiae eruditionis medicus, Jo. Dan. (*t*) Horſtius, qvi õnes nominis Horſtiani numeros implevit: *Internus finis eſt in poteſtate artificis, externus non itẽ. Unde nimis crudeliter Moſchi, Tartari & alii Barbari medicos occidunt, ſi hunc non ſemper aſſeqvuntur. Ita Dn. Olearius*

(*m*) *Orat. comm. in Inſt. Juris praemisſâ poſt med.*
(*n*) *Notis in Polit. Boxbornii pag. m.* 171.
(*o*) *Lib. de morbis incurabilibus pag.* 25.
(*p*) *Curt.* 10, 4, 11, & 12.
(*q*) *In Alexandro p.* 704.
(*r*) *in Epictetum p. m.* 180.
(*s*) *in Chronico p.* 126.
(*t*) *Manud. ad Medic. part.* 1. *cap.* 2.

*learius narras de Bor - Gondena Moscho: & M. Martinius de Changbiencungo Tartaro.* Qvanqvam ,de iis , qvi ambitiosè nimis & praefidenter, amotis caeteris, vitam aegro pollicentur, soliq; archiatri haberi volunt, cùm sint bipedum, qvos terra sustinet, ignarissimi, aliter statuendum sit. Enim jure meritoq; Cubricus seu Manes, αἰς πνεύματι] ἐπ illle furcifer, cum regis Persarum filium curare solus audaciter sustinuisset, ceterosqve stolidè prae se contempsisset, aegrò nihilominus mortuo, arundine (dignum patellà operculum!) excoriatus est. Verè proinde famigeratissimus ille justitiae sacerdos, (u) Ulpianus: *Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet: ita qvod per imperitiam commisit, imputari debet. praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* Sed ut à consiliario orsi, in eodem finiamus, scitissimo Gaji dicto subscribit qvasi & calculum suum addit illud fragilitatis humanae documentum (x) Darius: *Neminem*, inqviens, *stolidum consilium capite luere debere; defuturos enim, qvi svaderent, si svasisse periculû esset.* Profectò si stolidi consilii dati nemo pendere poenam debet, modò pro infirmà tenuiq; parte id svaserit, ut censuit Darius: qvantò magis prudens ratio & recta, etiamsi minùs prospera, nemini cuiqvam dividiae debet esse ac fraudi? Nec abit à sententia hàc illud (y) Artabani, Hystaspis filii, ad Xerxem patruelẽ: *Benè consultare, comperio maximum esse lucrum. Nam etiamsi qvid è contrario eventurum est, nihilo tamen minùs benè consultum est, superavitq; fortuna consilium &c.* In qvam mentem qvoqve, & illustriùs qvidem disserens ad Augustum Mecaenas in scenam è Dione Cassio prodire posset; nisi alii in theatrum producti occupàssent partes, & jam *Ilicet* ob decursum tempus & saltatam fabu-

(u) L. 7. ff. de officio praesidis.

(x) *Apud Curt.* 3, 8, 6.

(y) *Apud Herodotũ Polym. seu lib. 7. p. m. 378.*

bulam, qvamvis ſine plauſu & veterum καλῶς, ingeminandum ſit. Qvod ſi verò cui mirari ſubeat, aut materiam ſugillandi ſibi ſubminiſtratam putet, qvòd inferioris Muſae & ab umbrâ ſcholaſticâ homo, me in ſanctisſimae Deae ſacrarium penitrare, aut ſaltim limina ejus, qvippe cui introgredi non licuerit, ſalutare conatus fuerim; ille ſciat, me non ut βωμολόχον, ſed ut hoſpitem; non ut ſacrilegum, ſed ut μητραγύρτην, & ſi licet εὐφημεῖν, ἐξάρχειν venerabundum accesſisſe. Qvis enim, ut apertiùs loqvar, ſe ſuaqve tam anguſtis cancellis ferat circumſcribi, qvò minùs liceat qvandoqve, non qvidem ut transfugam, ſed ut ſpeculatorem, in aliena tranſire caſtra? Sed morus ego, morum ſi morer Momum. Qvare ad Declamaturos. Procedent in publicum προγυμνασταὶ, cathedrâq; illuſtris Gymnaſii noſtri animabunt qvatuor. I. MICHAEL Bahß/ Baruth. Sax. *de omniũ dignisſimo circa cultũ divinũ ſtudio CONFIRMATIONE PROGYMNASTICA* juxta Methodũ Thilonianã perorabit. II. CHRISTOPHORUS Zimmer/Geran. *LOCUM COMMUNEM in Injuſtos declamabit.* III GASPER Zim̃er/ Geranus, itidem *LOCO COMMUNI Viros fortes colendos eſſe*, declamaturus oſtendet. IV. HEINRICUS SAMUEL Eckold / Geranus, inſigne illud dictum Platonis: *Tùm demum felices eſſe Reſpublicas, ſi aut imperent Philoſophi, aut Philoſophiae operam dent Imperatores, CONFIRMATIONE* communiet. Qvos eximiae ſpei adoleſcentulos, uti amplisſimi, qvi ad clavum rei publicae ſedent, viri, Deiq; ſacerdotio funguntur, ac aegris ſalutares porrigunt manus, ceteriq;, literas qvi norunt aeſtimantqve, omnes haud gravatim audire velint, vehementer etiam atqve etiam contendimus: id qvocunq; officiorum & obſeqvii redhoſtimento compenſare prompti,

Dum ſol flammigerâ luſtrabit lampade terras:
Dum reget obliqvos Parrhaſis urſa polos.

P. P. GERAE. A. O. R. CIↃ IↃC LXIX.